39

JOANNIS BAVMAN
BVDOWNICKI
EQVESTRIA,
SIVE

De

ARTE EQVITANDI
LIBRI DVO.



CRACOVIÆ,
In Officina Francisci Cæsarij, Anno Dñi, 1640.



Illustrissimis, Perillustribus,

Generosis ac Magnificis

DOMINIS,

&

Vniuersæ Lectissimæ

IVVENTVTI,

ALMÆ MATRIS ACADEMIÆ CRACOVIENSIS.

Author. S. & F.

NON possum negare, Generosi & Magnifici Iuuenes, gloriam & amplitudinem Vestri Nominis, ab honestissimis literis, earumq; perillustri dignitate, copiosissimè promanasse; splendorem enim hunc Vestrum, & tot gloriosis factis illustrata Stemmata, quis ad excelsissimum veræ libertatis & gloriæ, satis tutè poterat adducere fastigium, nisi literarum incredibilis virtus atq; potestas. Sic est; neq; Vestra generosa indoles, aliter iudicare tentabit,

cum animorum Vestrorum ad maxima & immortalia quæuis impetus, Diuæ memoriæ Maiorum Vestrorum solida prudentia in agris Vestris, in limitibus Patriæ Vestræ, non in cerebro fabulosi Iouis prognatam Mineruam aperiant, quæ in tenellam puellam sensim excrescens, nunc iam matronæ constantissimæ, vultum & personam assumpsit. Neq; tamen affirmare præsumam, ipsum literarum splendorem, laudes Vestras, theatro totius orbis illustres exposuisse, namq; illius dignitati, ad extollendum nomen Vestrum, quod retroactis ætatibus in barbarie sepultum iacebat, adfuit imo præfuit gladiorum Vestrorum animosus fulgor, ipsaq; generosa disciplinæ militaris scientia. Hæc ipsa est, quæ nomen Polonum antea inauditum oriri fecit, hæc prima lineamenta imaginum Vestrarum instituit. Hæc splendores Lechicos, tot gloriosè cæsis hostium agminibus, tot innumeris reportatis victorijs, eorum cruore & sanguine, cum immortali fama honestissimè purpurauit, ad extremùm nomen Vestrum vti omnibus gloriosum, ita omnibus terribile, & adorandum hæc ipsa constituit. Nunquam Aquila Vestra in Vobis pullis suis, adeò laudabilis foret, nisi binis hisce alarum remigijs, litterarum scilicet, & artis Militaris scientia, in altum euecta fuisset, vobisq; altitudine volatus, Scientiarum Artiumq; honestissimarum dignitatem; vnguium verò rapacitate, fortitudinis trophæa, & Militaris Scientiæ peritiam commendaret. Inter ea cæterùm, quæ ad exactam militarem doctrinam, & iterandos sæpius triumphos referri videntur, tenet plurimum momenti, peritia artis equitandi, sine quâ nec bella institui, nec hostis fortiter aggredi, neq; demum spolia atq; victoriæ queunt feliciter obtineri, namq; cùm totum robur belli in cataphracto milite sit (conflictus enim ijs, quos sæpissimè barbara gens instituit, & si hi quoq; absq; innatâ quadam Equitandi peritiâ, rectè perfici nequeant, non tam bella, quam prædæ & rapinæ quædam latronum existimandæ sunt) & in eo asyllum quoddam, & vltimum refugium Patriæ repositum sit, quo sublato ruere commune bonum, & integritatem ciuium est necesse; Quis non aduertit, apprime notum militi bono, & futuro Patriæ defensori, quomodo flectenda, doman-

da, domanda & regenda sit equinatiua ferocitas. Considerauit id aperte satis, potentissimus Macedonum Rex Philippus, & animum in iuuentute ad sedandum Equum procliuem, certissimum indolis bonæ, & magnæ spei ponebat argumentum. Namq; cùm filium suum Alexandrum, ferocem Equum quocunq; vellet generose flectere vidisset: Hic enim Bucefalum, nullius sessoris patientem, blandius tractando, præter omnium spem, saltu Iuuenili animosè conscendit, eumq; modo laxatis, modo contractis habenis, scitè admodum rexit, duxit, reduxit, exclamauit, osculatus eum: Aliud mi fili regnum tibi quærendum erit, quod excelso tuo animo respondeat. Macedonia tam generosam mentem non capiet, nec vanum præsagium Patris, ex illa indole filij ad regendum Equum, fuerat, breuibus enim post peractis ætatibus, dum vniuersum orbem suo subiugaret imperio, fulmen quoddam & terror gentium est appellatus. Imò si rectè Philosophantium mores & instituta conspexerimus, hi etiam & si altissima quædam & assensu hominum remota contemplari videantur: Hanc tamen benè Equitandi peritiam, è liminibus suis pellere non sunt conati; Referunt namq; Diogenem post reliquas disciplinas, quas natis Xenides explanauerat, artem equitandi eosdem filios docuisse. Sed Te ego appello generosissime Sanguis, proles Aquilæ Sarmaticæ, seminarium Reipub: Nobilissima Iuuentus, Tu quidem nunc inter pacatas Musarum vmbras, tenellam mentem Tuam, imbuis virtutum & artium præceptis, omnis dissensionis & conflictuum adhuc expers, Tuæ ætati institutionem debitam accipis, scias tamen aliquando venturum tempus hoc, quo auxilium à Te Patriam inuocantem audies, quo opposita laterum tuorum, nomen & gloriam Patriæ tutari, quo inquam sæpius, superbis hostium ceruicibus gloriosos enses implantare, quam calamum pacatum regere expediet, atq; horum memor semper, in flore hoc ætatis Iuuentutem Tuam, vti lacte Mineruæ, ita cruore Martis eiusq; disciplinis excole. Intuere hoc voluntatis meæ, in Te obsequentissimum studium, quo libello hoc exprimere volui: prodesse enim his Patriæ meæ, in quibus teneros annos, & hanc altiorem ætatem assiduò occupaui, in eius vt pote nido altus, educatus, iustissimum duxi, in hac potissimum

iniuriâ temporum, dum & candor docentium non effusus, & huius artis vera peritia, Sarmaticæ præsertim Bellonæ accommodata, rarior, & res ac cardo disciplinarum ferè omnium, vanitatibus contecta delitescant. Hunc itaq; laborem meum, & de Te benè merendi studium, intuere vultu hilari, Sanguis Generosissime; ac toties reuoluens, Te ad eam quæ de Te præconcepta viuit spes, dispone, vt Diuæ Maiorum Vestrorum animæ, Vos non modo Sanguinis & fortunarum suarum, verumetiam fortitudinis, & artis Militaris, legitimos hæredes possideant. Valete.

IOANNIS

IOANNIS BAVMAN BVDOWNICKI EQVESTRIÆ LIBER PRIMVS, DE HIPPICA

CAPVT I.

Quid eſt Equeſtria?

Equeſtria eſt ars Heroica benè equitandi.

Quot ſunt Partes Equeſtriæ?

Duæ; Hippica & Hippeutica.

Quid eſt Hippica?

Hippica eſt prima pars Equeſtriæ, quæ Equum, & quæ ad eum pertinent, conſiderat.

Quid eſt Equus?

Equus eſt animal irrationale, hinniens.

CAPVT II.

Quot sunt consideranda in Equo?

Duo; Externa & Interna bona.

Quotuplicia sunt Externa bona?

Duplicia; Formæ & Figuræ.

Quotuplicia sunt Formæ bona?

Duplicia; Totius corporis, & singularum partium.

Quæ sunt bona Corporis?

Corporis bona sunt, iusta & mediocris altitudo, tùm magnitudo inuicem correspondens altitudini, eique proportionalis.

CAPVT III.

Quotuplicia sunt bona Partium?

Duplicia; Partium Principalium, & minus Principalium.

Quotuplices sunt Partes Principales?

Duplices; Superiores & Inferiores.

Quot sunt Partes Principales Superiores?

Duæ; Caput & Venter.

Quæ sunt Partes principales inferiores?

Pedes anteriores & posteriores, dextri & sinistri.

Quæ sunt Partes minus principales?

Quæ cuilibet partium principalium adhærent.

CAPVT

CAPVT IV.

Quid considerandum est in Capite?

Vt sit paruum non nimis longum, siccum, instar arietini, vbique venas ostendens, cuius pellis bene inhæreat ossibus capitis.

CAPVT V.

Quotuplices sunt partes minus principales, capiti adhærentes?

Duplices; Instrumenta sensuum, & Adiunctæ.

Quot sunt Instrumenta Sensuum?

Quatuor; Duo quidem duorum Principalium Sensuum, vt Oculi & Aures: & duo duorum minus principalium, vt Nasus & Os.

Quid est considerandum de Oculis?

Oculi sint magni, nigri, & protuberantes.

Quid est considerandum de Auribus.

Aures sint paruæ, acutæ, & erectæ, longitudinis proportionalis.

Quid est considerandum de Naso?

Nasus sit apertus, & tumidus, quod signum multorum spirituum est.

Quot sunt consideranda in Ore?

Duo: Os ipsum, & dentes Oris.

Quid est considerandum in ipso Ore?

Os debet esse magnum, tale enim multorum spirituum indicium esit.

CAPVT VI.

Quot numerantur dentes Equini?

Quadraginta.

Quomodo distinguuntur?

In medios, & Extremos.

Quot sunt medij dentes?

Duodecim; & vocantur Rapaces.

Quomodo distinguuntur Extremi?

In Primores, & Genuinos.

Quot sunt Primores?

Quatuor: Canini, & vocantur Columellares.

Quot sunt Genuini?

Duodecim vtrinque, & vocantur Molares.

CAPVT VII.

Quid est considerandum ex dentibus Equorum?

Ætas, eaque vel Pulli, vel Equi.

Quomodo obseruatur ætas Pulli?

Pullus protrudens quatuor primores dētes, supra duos, & infrà duos, quos Lactantes vocant, triginta mensiū erit.

Quotupliciter consideratur ætas Equi?

Dupliciter: Equi vel quatuor, vel plurium annorum.

Quomodo cognoscitur Ætas quatuor annorum?

In principio quarti anni, protrudunt alteros quatuor dentes, qui sunt propè Lactantes, & prominere aliquantùm etiam incipiunt Canini siue Columellares.

Quomo-

Quomodo cognoscitur Ætas plurium annorum?

Quinto anno incipiunt protrudere vltimos dentes; sexto æquant omnes, & principiò septimi, habent omnes æquatos. Vltrà nihil certi cognosci potest.

CAPVT VIII.

Quotuplices sunt Adiuncta?

Duplices; Inferiores, & Superiores.

Quot sunt Adiuncta Inferiores?

Bis duæ; Conchæ & Maxillæ; Frons & Iuba.

Quid considerandum de Conchis?

Conchæ superciliorum sint plenæ, & protuberantes.

Quid considerandum de Maxillis?

Maxillæ sint tenues, & graciles.

Quid considerandum de Fronte?

Frons sit macra, & ampla.

Quid considerandum de Iuba?

Iuba sit rara, & longa: dura verò durum Equum, mollis mollem notat.

CAPVT IX.

Quot sunt Adiuncta Superiores?

Duæ: Collum, & Scapulæ.

Quid considerandum in Collo?

Collum ne sit nimis breue, sed longiusculum, crassum versùs pectus, curuatum in medio, & tenue propè caput.

Quid conſiderandum in Scapulis?

Scapulæ ſint longæ, latæ, carnoſæ, & plenæ.

C A P V T X.

Quid conſiderandum de alterâ parte principali ſuperiore, nempe de Ventre?

Venter ſit longus, & grandis, infrà iuſtè opertus, plenis lateribus, cùm naturali vertice.

Quotuplices ſunt partes minus principales ventri adhærentes?

Duplices: Anteriores & Poſteriores.

Quot ſunt Anteriores?

Bis duæ: Pectus & Lumbi, Dorſum, & Setæ locus.

Quid conſiderandum in Pectore?

Pectus ſit largum & rotundum.

Quid conſiderandum in Lumbis?

Lumbi ſint rotundi, ſed plani versùs ſpinam ſtriatam, & duplicatam.

Quid conſiderandum in Dorſo?

Dorſum ſit breue, nec concauum, nec conuexum, ſed planum, & immobile.

Quid conſiderandum in loco Setarum?

Locus ſetarum ſit non ſolum acutus, ſed etiam glaber, & planus, vt diuiſio ſcapularum appareat.

CAPVT

CAPVT XI.

Quot ſunt partes poſteriores, minus principalium partium ventri adhærentium?

Bis duæ: Cauda & Truncus, Clunes & Teſticuli.

Quid conſiderandum in Cauda?

Cauda ſit piloſa, & longa vſque ad terram.

Quid conſiderandum in Trunco?

Truncus ſit iuſtæ magnitudinis, & bene diſpoſitus inter coxas; rari ſed criſpi pili in eo ſignum bonitatis ſunt.

Quid conſiderandum in Clunibus?

Clunes ſint rotundæ & planæ, labentes paullùm, cum canali in medio.

Quid conſiderandum in Teſticulis?

Teſticuli cum ſuo membro ſint parui, quamuis etiam interdum magni, boni ſint.

CAPVT XII.

Quotuplices ſunt partes partium principalium ſcilicet pedum?

Duplices: Superæ & Inferæ.

Quot ſunt Partes Superæ?

Bis duæ: Coxæ & falces, Genua & Brachia.

Quid conſiderandum de Coxis?

Coxæ ſint longæ & latæ, bene oſſatæ, & carnoſæ intra & extra.

Quid considerandum de Falcibus?

Falces sint curuæ & latæ sicut ceruorum.

Quid considerandum in Genibus.

Genua sint magna, rotunda, macra & plana; ossa super genibus sint maiora, quam quæ subter.

Quid considerandum de Brachiis?

Brachia sint neruosa, plana, sicca, iustæ magnitudinis, cum paruis tibijs.

CAPVT XIII.

Quot sunt Partes Inferæ?

Bis duæ; Tali & Pastores, Coronæ & Cornu.

Quid considerandum de Talis?

Tali sint magni: à posteriore parte capillati, fortitudinem notant.

Quid considerandum de Pastoribus?

Pastores sint breues, nec nimis depressi, nec nimis erecti.

Quid considerandum de Coronis?

Coronæ sint subtiles & pilosæ.

Quid considerandum de Cornu?

Cornu sit politum, nigrum, largum, rotundum, siccum, & cauatum.

CAPVT XIV.

Quæ sunt Figuræ bonæ?

Figuræ bonæ sunt diuersi colores, ex diuersis complexionibus surgentes.

Quotu-

Quotupliciter ſunt conſiderandi colores Equorum?
Dupliciter: In toto corpore, & in Extremitatibus.

Quotuplices ſunt colores in toto Corpore?
Duplices: Veri & Mixti.

Quotuplices ſunt veri Colores?
Duplices: Principales, & minus principales.

CAPVT XV.

Quot ſunt colores Principales?
Duo: Albus & Niger.

Quotuplex eſt Albus Color?
Duplex: Purus vel Guttatus.

Quid indicandum ex albo colore puro?
Albus color tardum, mollem, & phlegmaticum Equum denotat.

Quotuplex eſt albus color guttatus?
Duplex: Guttatus albus, & guttatus niger.

Quotuplex eſt guttatus albus?
Duplex: Totius corporis, vel partium eius.

Quid indicandum ex Guttato albo totius corporis?
Guttatus albus per totum corpus, bonæ qualitatis eſt, ſecundum plus vel minus, prout vnius coloris fuerit.

Quid iudicandum ex Guttato albo partium corporis?
Guttatus albus ad latera vel collum, mali indicij eſt, quia ſuſpicamur à muſcis ità contractum eſſe.

Quid iudicandum ex Guttato nigro?

Guttatus niger eſt leuis, dexter, & boni ſenſus, ita etiam eſt guttatus ruber, ſed guttatus niger maioris fortitudinis, & animi cenſetur.

CAPVT XVI.

Quotuplex eſt niger color?

Duplex: Purus vel Impurus.

Quid iudicandum ex nigro colore puro?

Niger color, ceruinus, ſoricinus, aut ſimilis, frigidæ ſiccæ, grauis, viliſque naturæ, & melancholicum Equum denotat.

Quotuplex eſt niger color impurus?

Duplex: Maculoſus, vel Obſcurus.

Quotuplex eſt niger maculoſus?

Duplex: Poſt manum, vel ante manum.

Quid iudicandum ex maculis poſt manum?

Si poſt manum albas maculas oſtenderit, bonitatis indicium erit.

Quid iudicandum ex maculis ante manum?

Si ante manum maculas albas habuerit, vilis fortitudinis erit.

Quid iudicandum ex nigro obſcuro?

Obſcurus valdè ſine vllo alio ſigno albo, plerumq́ue fallax cenſetur.

CAPVT

CAPVT XVII.

Quot sunt colores minus principales?

Duo: Glaucus & Ruber.

Quid iudicandum ex Glauco colore?

Glaucus color, ſanguineum, agilem, hilarem, & temperati motus Equum denotat.

Quotuplex eſt ruber Color?

Duplex: Purus vel Guttatus.

Quid iudicandum ex rubro colore puro?

Ruber color cholericum, iracundum, leuem, ardentem, & ſaltatorem, ſed rarò neruoſum Equum denotat.

Quid iudicandum ex rubro colore guttato?

Ruber in ore, vel malis guttatus, ſuperbam & duriorem Cabalum indicat.

CAPVT XVIII.

Quotuplices ſunt colores mixti?

Duplices: Boni vel Mali.

Quotuplices ſunt colores mixti boni?

Duplices; Vel ex omnibus, vel ex duobus coloribus mixti.

Quid iudicandum de colore mixto ex omnibus?

Quando Equus debita proportione de omnibus participat, tunc omnium perfectiſsimus erit.

Quotuplices ſunt colores ex duobus mixti?

Duplices: Principales & minus principales.

Quot ſunt Principales?

Duo: Spadiceus, vel Baius, & Semialbus, obſcurus, Scutulatus.

Quis eſt minus Principalis?

Metallinus.

Quid iudicandum ex his coloribus bonis?

Equi his coloribus inſignes, ſunt multum temperati, valentes, nobiles, & robuſtæ naturæ.

Quot ſunt colores mixti mali?

Reliqui omnes; obſeruata tamen proportione.

CAPVT XIX.

Quis eſt color in Extremitatibus obſeruandus?

Albus Color.

In quibus Extremitatibus præcipuè obſeruandus eſt?

In Capite, & in Pedibus.

Quid obſeruandum in Capite?

Alba ſtellula in fronte,

Quotuplex eſt illa ſtellula?

Duplex; vel cum tractu, vel ſine tractu.

Quid notat ſtellula cum tractu?

Stellula cum tractu per faciem, ſed cilia non tangens, eſt valdè bonum ſignum; & eò magis, cùm etiam pedes

benè

benè notati sunt: sine pedibus autem benè notatis, ornamenti magis, quàm bonitatis est.

Quid notat stellula sine tractu?

Stellula sine tractu, & in ore insuper album signum, ineptum Equum notat, & mali oris: sed posterior sinister pes albus, corrigit vitium.

CAPVT XX.

Quotuplices sunt pedes Equini?

Bifariam duplices: Anteriores & posteriores, dextri & sinistri.

In quibus pedibus est obseruandus albus color?

Vel in singulis, vel in coniunctis.

Quid notat albus color in anteriore dextro pede?

In anteriore dextro pede notat tractabilem, boni sensus, sed rarò agilem Equum.

Quid notat albus color in anteriore sinistro pede?

In anteriore sinistro pede, non magni æstimandus est, sine alijs bonitatis signis.

Quid notat albus color in posteriore dextro pede?

In posteriore dextro pede, notat superbum, vitiosum, & infortunatum Equum.

Quid notat albus color in posteriore sinistro pede?

In posteriore sinistro pede, magnifaciendus est, & notat plerumque cordatum & celerem Equum.

CAPVT XXI.

Quotupliciter considerantur coniuncti pedes?

Dupliciter: Vel omnes simul, vel non omnes.

Quid notat albus color in coniunctis pedibus omnibus simul?

In coniunctis pedibus omnibus simul, notat sincerum, bonæ phantasiæ, sed rarò fortem Equum.

Quotupliciter considerantur coniuncti pedes non omnes?

Dupliciter: Vel directi vel transuersi.

CAPVT XXII.

Quid notat albus color in coniunctis Anterioribus?

In coniunctis anterioribus pedibus non est bonum signum: notat enim infortunatum & ineptum, quamuis posterior siue dexter, siue sinister simul sit albus. Dictat enim ratio quod Equus plus albedinis retrò quàm ante debeat habere; quia albus color aliquam imbecillitatem notat, propter temperamentum àëris, & Equus etiam magis nitatur anterioribus quàm posterioribus.

Quid

Quid notat albus color in coniunctis posterioribus?

In coniunctis posterioribus pedibus est optimum signum; & eo magis, si etiam albam stellulam in fronte habeat: si verò alterum ex anterioribus etiam album habere contingat sine stellula, non tanti valoris est.

Quid notat albus color in coniunctis dextris?

In coniunctis dextris pedibus est periculosum signum, & nihili faciendum.

Quid notat albus color in coniunctis sinistris?

In coniunctis sinistris pedibus quamuis non sit bonum signum, non tamen tam malum est, quàm in coniunctis dextris.

CAPVT XXIII.

Quotuplices sunt coniuncti transuersi pedes?

Duplices: Vel Anterior dexter, vel Posterior sinister; vel Anterior sinister, & posteriór dexter.

Quid notat albus color in Anteriore dextro, & Posteriore sinistro?

In anteriore dextro & posteriore sinistro, non est bo-

num, ſed nec etiam adeò malum ſignum, vt in altis tranſuerſis.

Quid notat albus color in Anteriore ſiniſtro, & poſteriore dextro pede?

In anteriore ſiniſtro & poſteriore dextro, eſt malum ſignum, periculoſum, & ad caſum pronum Equum denotans.

CAPVT XXIV.

Quomodo cognoſcuntur interna bona?

Interna bona cognoſcuntur ex qualitatibus quatuor Elementorum, ex enumeratis coloribus relucentium.

IOANNIS BAUMAN BUDOWNICKI EQUESTRIÆ LIBER SECUNDUS.

DE HIPPEUTICA.

CAPUT PRIMUM.

Quid est Hippeutica?

Hippeutica est altera pars Equestriæ, quæ Equitem, & quæ ad eum spectant, considerat.

Quid est Eques?

Eques est Homo, seipsum & Equum regere gnarus.

Quot sunt consideranda in Equite?

Duo; Rectio sui, & Rectio Equi.

Quotupliciter consideratur Rectio sui?

Dupliciter: Antequam conscendat, & postquam conscenderit.

CAPUT II.

Quotuplicia sunt consideranda antequam conscendat?

Duplicia: Quædam conscensuro, & quædam conscendenti.

Quot

Quot sunt consideranda Conscensuro?

Duo: Vnum Equi, alterum Equitis gratia.

Quot sunt consideranda de Equi gratia?

Duo præcipuè: 1. vt catenula suo loco & bene disposita sit. 2. vt cingula sit probè succincta.

Quid est considerandum Equitis gratia?

Vt stapedes sint æquali & iusta, hoc est, proprij brachij longitudine, vt Eques erectus in ephippio pugni lato ab eo distet; quamuis præstet dextrum stapedem dimidio foraminis vnius longius protendi.

CAPVT III.

Quot sunt consideranda Conscendenti?

Duo: Vnum Equitis, alterum Equi gratia?

Quid est considerandum Equitis gratia?

Vt commoditas conscendendi, vel ad scamnum, saxum, aut aliud quod eleuatum quæratur, & semper obseruetur: cui rei inprimis assuescendum.

Quot sunt consideranda Equi gratia?

Duo: 1. vt paullùm subsistat; 2. vt Equo blandiatur.

Quomodo blandiendum Equo?

Collum supremum in versa scutica fricando, manuque mulcendo, & post ephippium leniter palpando; non sepositis verbis amicis.

CAPVT IV.

Quid considerandum postquam conscenderit?

Oportet eum ita sedere, vt quasi stare supra caballum videa-

videatur, & vt habeat securitatem & libertatem suæ personæ, & gratiam à spectatoribus.

Quotuplicia sunt ista?

Duplicia: Quædam respiciunt Animum, quædam Corpus.

Quid considerandum in Animo?

Animus sit magnus, sibi ipsi fidens, & virtutem non tam à caballo, animali inexpugnabili, quàm à seipso sumens; ita etiam Equus eo magis, si bene institutus fuerit, ipsi in omnem casum obedientissimus erit.

CAPVT V.

Quotuplicia sunt consideranda in Corpore?

Duplicia: Vel totius Corporis, vel eius partium.

Quid considerandum in toto Corpore?

Corpus sit rectum, erectum, firmum & iustum, vt pectus suum, Equi capiti exactè respondeat, & ad amussim, sedeat recto dorso immobilis, fortissimumq; instar Centauri, subleuando & eijciendo se, extrà & intrà, de saltu in saltum iusto modo.

Quotuplices sunt partes Corporis?

Duplices: Principales, & minus Principales.

Quot sunt partes corporis Principales?

Duæ: Caput, & Brachium.

CAPVT. VI.

Quot sunt consideranda in Capite?

Duo: Vnum, in ipso capite, alterum, in vultu Capitis.

Quid est considerandum in ipso Capite?

Cauendum sedulò, ne caput deorsum flectatur, aut ad latus, nec etiam releuetur retrò, sed rectum teneatur & firmum, vt corpus sit rectissimum.

Quid est considerandum in Vultu?

Vultus sit hilaris & lætus, gratiæ spectatorum conciliandæ.

CAPVT VII.

Quot sunt consideranda in Brachio?

Duo: Ipsum brachium, & manus brachij.

Quid est considerandum in ipso Brachio?

Brachia portanda aerosa & quasi inarcata, vt libera sint & promptiora.

Quot sunt consideranda in Manu?

Duo: Ipsa manus, & quæ sunt in manu.

Quid est considerandum in ipsa Manu?

Dextra manus, cùm alicui loquendum fuerit ad illam, pari altitudine cum sinistra tenenda est.

CAPVT VIII.

Quot sunt consideranda in iis, quæ in manu sunt?

Duo: Vnum in dextra, alterum in sinistra.

Quid

Quid considerandum in dextra?

Dextrâ manu tenenda est scutica.

Quot sunt consideranda in sinistra?

Duo: Frenum, & Habena.

Quomodo tenendum est Frenum?

Minimo digito semper intrà frenum iacente, plena manus ita ducenda est, vt mons Veneris cum linea vitæ sursum; pollex autem supra frenum, dextram spectet.

Quomodo tenenda est Habena?

Habena ita tenenda est, vt minimus digitus semper extra illam annularis intra iaceat.

CAPVT IX.

Quotuplices sunt partes corporis minus Principales?

Duplices: Superiores, & Inferiores.

Quot sunt partes Superiores?

Vna: Nimirum dexter Humerus.

Quid considerandum in dextro Humero?

Dexter Humerus aliquantulum magis promineat quàm sinister.

CAPVT X.

Quot sunt partes Inferiores?

Duæ: Coxendix & Crus.

Quid considerandum in Coxendice?

Coxendix sellam ita amplectatur, & sese quasi irradicet, vt genu sit solutum ad succurrendum cum liberâ flexione, adiuuando, vel castigando.

Quid considerandum in Crure?

Crus ſit pendens & ſolutum, cum acumine pedis eleuato, ne etiàm calcaria in equi ventrem, ſed forâs vertantur.

CAPVT XI.

Quotuplex eſt rectio Equi?

Duplex: Auxilij & Caſtigationis.

Quotuplex eſt Auxilium?

Duplex: Proprium, & Aſſumptum.

Quotuplex eſt Auxilium proprium?

Duplex: Vocis, & Motus

CAPVT XII.

Quid eſt Auxilium Vocis?

Quando voce excitatur Equus, quâ plus ſæpe corrigitur, quàm alio quocunque auxilio.

Quotuplex eſt Auxilium Vocis?

Duplex: Depreſſæ, & Sonantis.

Quid eſt Auxilium vocis Depreſſæ?

Auxilium vocis, quo magis depreſſæ & placidæ fuerit, eo gratius Caballo erit.

Quid eſt Auxilium vocis Sonantis?

Hilari & ſonante voce tantum in operis vtendum, quâ ad eas excitatur; non autem coram Principe aut Equite.

CAPVT XIII.

Quotuplex eſt Auxilium Motus?

Duplex: Linguæ & Cruris.

Quid est Auxilium Linguæ?

Tonus linguæ, qui etiamsi non sit multæ releuationis, tamen ne semper voce opus sit, & nihilominus Caballus sollicitus retineatur, adiuuamus eam isto sono.

Quomodo fit iste Sonus?

Fit superius palatum extremitate Linguæ tangendo, & ita quasi crocitando.

C A P V T XIV.

Quid est Auxilium Cruris?

Crure adiuuatur Equus in operis, saltibus, nexibus, alijs, succurendo & adiuuando illum, cum tempore ad mensuram, & consonantiam, moto cruore cum dexteritate.

Quotuplex est Auxilium Cruris?

Duplex: Vel in Equo ardente, vel pigro.

Quid est Auxilium Cruris in Equo ardente?

Si Caballus multi sensus & ardoris fuerit, solidum & firmum tenendum est crus, ascendendo cum eo in tempore, & firmando illud.

Quid est Auxilium Cruris in Equo Pigro?

Si Equus piger & somnolentus fuerit, non opus soliditate & firmitate istâ Cruris.

C A P V T XV.

Quotuplex est Auxilium Assumptum?

Duplex: Equitis, & Equi.

Quotuplex est Auxilium Assumptum Equitis?

Duplex: Calcarium & Scuticæ.

Quid est Auxilium Calcarium?

Calcaria plurimum efficiunt, excitant, viuificant, rectificant, impellunt, flectant, castigant, redduntque promptum, obedientem, & resolutum Equum.

Quomodo fit Auxilium Calcarium?

Quando pungitur Equus apud Cingulam, nunc ante, nunc post, iam ab hoc, iam ab illo latere, iam vtrinque, secundum plus aut minus, prout Caballus durus, piger, sensitiuus, vanus, vitiosus, ardens, habilis aut leuis fuerit.

CAPVT XVI.

Quid est Auxilium Scuticæ?

Scutica, tenenda est soluta, & facilis ad omnem operam, excitans & incitans Caballum ad omnem operationem.

Quotuplex est Auxilium Scuticæ?

Duplex: Rectæ vel Obliquæ.

Quotuplex est Auxilium Scuticæ Rectæ?

Duplex: Sursum vel deorsum.

Quid est Auxilium Scuticæ Rectæ sursum?

Ad præsentandam sui & Caballi personam, portanda est scutica alta, recta & erecta.

Quid

Quid est Auxilium Scuticæ Rectæ deorsum.

Ad succurrendum in tempore, scutica flexa tenenda est ad latus deorsum.

Quid est Auxilium Scuticæ Obliquæ?

Ad deambulandum per vrbem versus sinistram flectenda est scutica, extremitate eius supra dextrum Equi humerum iacente.

CAPVT XVII.

Quid est Auxilium assumptum Equi?

Frenum.

Quid est Auxilium Freni?

Si volueris adiuuare & impellere Caballum freno, flectas solummodo manum, policem paullùm attollendo, sine omni vi, omniq́ue brachij commotione: si verò castigare (quod quidem non suaserim, nisi in casu necessitatis) attollas pugnum, & vnam aut alteram alapam ei impingens, prout opus fuerit.

Quotuplex est Auxilium Freni?

Duplex: Medium & Extremum; pro loco, quo tenetur Frenum.

CAPVT XVIII.

Quid est Auxilium medium Freni?

Quando frenum tenetur in medio loco inter setas & arcum ephippij, & facit ad temperandum Caballum.

Quotu.

Quotuplex eſt Auxilium extremum Freni?

Duplex: Imum & Summum.

Quid eſt Auxilium Imum Freni?

Quando tenetur propter ſetas, & eo firmatur Equus.

Quid eſt Auxilium Summum Freni?

Quando tenetur prope arcum, & altius vix attollitur: eo autem datur Equo libertas.

CAPVT XIX.

Quid ſunt Caſtigationes?

Caſtigationes ſunt eædem cum auxilijs, niſi quod in caſtigationibus vehementiorem oportet eſſe Equitem.

EQVESTRIÆ FINIS.